

Reiske,  
De Zenobia.

255.



AD  
MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
VIRI  
QVONDAM CLARISSIMI  
CHRISTIANI GOTTLOB  
HALTAVSII

A. M. ET SCHOLAE NICOLAITANAE RECTORIS  
ORATIONIBVS DVABVS  
IN SCHOLAE EIVSDEM AVDITORIO MAIORE

AD DIEM XII. FEBRVARII

CELEBRANDAM

AMICOS VIRI DESIDERATISSIMI

INVITAT

ET DE

ZENO B I O

SOPHISTA ANTIOCHENO

QVAEDAM DISSERIT

D. IO. IACOBVS REISKE

P. P. ET SCHOLAE NICOL. RECTOR.



LIP S I A E

EX OFFICINA LOEPERIA.







praclarus, in aliis multis, est Tusculanarum ille locus, quo Cicero mortuos gloria carere negat, sed virtuti eorum ita gloriam adherere atque comitem esse, ut umbram corpori, affirmat. *Non possumus dicere*, ait (I. 45.) *quoquo modo hoc accipiatur*, *Lycurgum*, *Solonem legum* & *publicae disciplinae carere gloria*, *Themistoclem*, *Epaminondam bellicae virtutis*. Omitto, brevitatis gratia, reliqua illustrium virorum nomina, quorum praedicatione Cicero ibi, una cum quaestionis auctore, adversus quem disputat, omnes, quotquot essent futuri, lectores illius disputationis ad studium virtutis accendere, & facultate contemnendae mortis instruere voluit. Erunt forsitan, quibus, quae dictioni *quoquo modo hoc accipiatur*, subiecta sit sententia, videatur obscurum. Pugnatur nempè Cicero adversus eos, qui mortem ideo acerbam & extimescendam dicere solerent, quod per eam nobis carendum esset dulcedine rerum illarum omnium, quas quisque per vitam haberet carissimas. Multus igitur est in exponenda & definienda notatione verbi *carere*. Perperam ait a multis usurpari hoc verbum pro altero affini, sed diverso, *vacare*; non parum enim illa duo discrepare. *carere* nos rebus, quarum desiderium aegre feramus; *vacare*, quas cum penes nos non reperiamus, non magnopere concupiscamus. negat igitur mortuos aut gloria, aut reliquis bonis carere, quorum fructum atque suavitatem vivi percipissent, quoquo modo hoc carendi verbum accipiatur. nam sive sensu destituti sint omni manes, atque conscientia; sive percipiant aliquam ex iis rebus voluptatem, quas intelligant a suis familiaribus honoris sui ergo suscipi; fieri nullo modo posse, ut dicantur mortui gloria carere. Nam quibus omnis omnino negata sit & interemta sentiendi facultas, ad eos nil pertinere sui nominis umbram, & perinde ipsis esse, quidquid in se statuatur; adeoque nullam



eos gloriam desiderare, qui aut nulli sint, aut res has nostras non assequantur. Quod si rursus ullo gloriae rerumque nostrarum afficiantur sensu, non modo non deesse ipsis gloriam, sed tantum ejus ipsis superesse, ut, cum vis & injuria multiplex eorum delere atque evertere queat monumenta, nulla tamen sit tanta unquam futura, quæ rerum ab ipsis præclare gestarum memoriam e mentibus hominum atque annalibus evellat. Quo constituto consequitur, recte facere, cum eos, qui nominis immortalitatem virtuti præmium proponant, tum, qui eo veluti stimulo ad recte præclareque agendum incitentur.

Fuit quoque judicium hoc, non Græciæ modo, neque Latii, neque omnis antiquitatis, sed ætatum omnium, ut justa mortuis facienda existimarent. quibus in justis prædicatio quoque ad vivos continetur earum laudum, quibus mortui per vitam enituisse. Qua in re, cum multis aliis, hæc duo præcipua spectasse videntur, ut eodem officio defungendo cum mortuis, tum superstitibus satisfacerent.

Potest autem gemino modo nomen hoc dissolvi; altero ut laudes illustrium virorum sermone scriptisque exsequamur; altero, ut maculas diluamus & purgemus, si quas innocentium famæ aut error, aut malevolentia, aut credendi levitas adspererit. Quo consequimur hoc, ut erga eos, qui bene de nobis meriti sint, grati fuisse videamur. Si amicitiae lex nos vult vel absentium amicorum laudibus inservire, & eorum decora ab obtrectationibus & criminibus tueri atque vindicare, qui causam ipsi suam agere queant, facilisque illi venia est atque parata, si quis in amico extollendo modum excedat: quanto magis nos decebit, quibus causæ suæ dicendæ locus plane negatus æternumque sit impositum silentium, eos gravissime & defendere, & commendare; idque iis modis efficere, ut virorum de patria bene meritorum posterius fructus percipiant illius gratæ voluntatis, quam in ipsos beneficiorum auctores expromptura & collatura fuisset respublica, si diutius heroibus illis vivere licuisset. Fac eorum omnium, quæ justa mortuis fieri dicuntur, nihil quidquam ad mortuorum sensum pertinere; fac illos nullum eorum omnium honorum, quos ipsis tribuimus, neque appetere, neque curare: non ideo tamen male & præter rem collocantur, neque pereunt nostra studia. Ea enim est vis & ratio illius officii, quo acceptæ gratiæ parem referre debemus, ut, tametsi, cui debes, testificatione tuæ voluntatis nil eget, neque fructum ejus fert ipse, tu tamen nihilo minus debeas, in ejus aere te esse, profiteri, tuumque referendæ gratiæ studium, quibus possis, modis omnibus testatum facere. Ne longe abeam, quis est unus omnium, cui plura, quam deo, debeamus, cujus sumus nos nostraque omnia. quis  
rursus

rursus est, qui facilius nostra & praedicatione & veneratione careat? Voluit tamen idem a nobis coli; & cultus hujus partem esse professionem eam, decorum & ornamentorum, quae nobis insint, omnium nullum esse, quod ei non in acceptis feramus. In quo praeceptum inest, per quos homines ipse nos ornarit, erga illos simili studio nobis esse utendum.

Quid quaerit, qui laudat? Hoc nempe, ut qui se laudantem audiat, de illo, qui laudetur, bene incipiat existimare, & dicta factaque ejus probare atque suspicere. Unde oritur erga eum benevolentia atque contentio ejus studiis inserviendi. Jam, pro animorum diversitate, alii aliis moventur & ducuntur; omnes ad id unum contendunt, in quo quisque genere maxime studuerit & elaborarit, ut id cum suae, tum insequentium aetatum hominibus innotescat atque placeat. Quae qui probant, et tuentur, rem gratam faciunt auctoribus, & fructum ipsis impertiunt laborum, quos exantlarunt. Esto verbi causa, qui uxorem liberosque vehementer amet, hunc acerbitas fati tum avocet, quum nondum eos in re lauta collocarit. Quid eum putas aliud magis velle decedentem, quam ut existat amicus, beneficus & locuples atque potens, qui, unde sumtus fiant, abunde praebat, qui necessariorum & jucundarum rerum nihil quidquam ab iis desiderari patiatur, qui ab incursionibus, injuriisque inimicorum tueatur. Ejusmodi liberales & potentes amicos ipsi conciliant, qui defunctum commendant. Solent porro, quibus omnis vita in literis est, in condendis edendisque ingenii sui monumentis, secundum utilitatem communem, privatam gloriam maxime sequi. quapropter infelicissimos se putant illi, quibus carendum est laboris sui fructu, gloria, quod nequeant redemptores lucubrationum reperire, in quibus commentandis & expoliendis, tot curas suscepissent, tot noctes pervigilassent. Quos ergo sinistra illa fecit fortuna, ut vita decedentes debeant inchoata opera, veluti expositos infantes, incertae fortunae derelinquere, quid illis potest contingere exoptatius, quam existere, qui, ostendenda magnitudine utilitatis & excellentia doctrinae, in eorum scriptis depositae, permoveat librarios, ut iis scriptis in publicum prodeundi viam patefaciant. Quid viros in republ. versantes aliud antiquius habere putas, quam ut acta sua, in quibus leges eminent, quam diutissime permaneant, & ad posteros salva & sancta perveniant. Atqui legibus his actisque ad populum laudandis efficimus, in quo constituendo illi per omnem vitam elaborarint, omnibusque opibus atque viribus contenderint, ut id ratum firmumque sit, cum docemus, in illis actis legibusque contineri republ. & ejusmodi ea esse, ut a viro, qui non fuisset sapientissimus, idemque patriae amantissimus, proficisci non potuerint.



Inest nobis omnibus immortalis gloriae, seu nominis post fata superstitis cupido a natura insita, telum ad bene agendum acerrimum, quo retuso & sublato ut concidat & consistat omne honesti & recti studium, ut tollantur e vita laudes omnes, ut ocelli veluti vitae eruantur, necesse est. Alendi potius hi sunt igniculi modis omnibus, & confirmanda bonorum spes de posterorum benignitate iudicii. Quod iudicium quare contemnendum sit viro sapienti, causae nil video. Quis opus esset suscepturus, quod statim videret destruendum? quis arborem plantaturus, quam paullo post sciret evellendam? Serimus posteris, aedificamus posteris. uno verbo, eo nitimur omnes, ut existant ad posteros monumenta nostri, & ut ipsis placeant, collaudentur, in usu sint instituta nostra quam diutissime. Neque nostram in eo rem solam agimus; ipsorum quoque posterorum. Solet enim cum auctoris existimatione fors operis conjuncta esse. quo fit interdum, ut clarum auctoris nomen vel sequioris notae aliquod & minus utile minusque perfectum opus commendet; alia, etiamsi utilissime atque sapientissime inventa, si auctor invidia publica laboret, damnentur atque intercidant.

In propositione exemplorum magna vis est, ad verae laudis commendationem. Quare in praeclarissimis institutis habendum est illud graecorum, quo solebant viros fortes, qui pro patria pugnantem occidissent, quum eos publice efferrent, oratione funebri cohonestare, eaque virtutem eorum & pietatem erga patriam praedicare. Cujusmodi orationes penes Thucydidam, Platonem, Demosthenem, alios existant perquam graves & celebres. Etiam Romae viri boni, si qui decessissent, pro Rostris exponi & ad concionem laudari solebant. Quae res sapienter excogitata fructu non caruit. Semper enim reperti sunt, quorum animi ad merendam honorum laudumque paritatem ab ejusmodi laudationibus inflammarentur. Unde quot quantaque utilitates ad rempubl. redeant, facile patet.

Totius vitae vinculum firmissimum est gratiae voluntatis demonstratio. sed, si qui alii, discipuli maxime praeceptoribus eam debent. Nam quod in rebus humanis summum est, ab illis acceperunt, bonarum artium amorem atque scientiam, in quibus honestas procul dubio caput est. Potestne igitur ulla alia res magistris bonis jucundior accidere, magis cordi esse, quam, in quibus erudiendis & ad felicitatem perennem adducendis ipsi alserint sudarintque, & gravissima taedia molestiasque incredibiles exhausserint, suum hoc eos studium neque non intell. gere, neque dissimulare, sed ad alios praedicare, & per quos gradus, & per quae praecepta ipsi ad arcem doctrinarum ascendissent, per eadem suos quoque ducere? Non potest profecto magister non vehementer delectari, qui videat, certusque sit,



fit, in quibus tradendis inculcandisque doctrinis atque sententiis ipse navus & assiduus fuisse, sibi in iis vel maxime placuisse, ea a suis discipulis ad ipsorum transferri, atque per manus veluti tradi. Illi ipsi, qui in extollendis praeceptorum meritis ornandaque laborant memoria, quod est aliud opus, in quo majore cum laude versari queant? quae laurea nobilior, quam mereantur? quod insignius beneficium. quo ipsi se afficiant? Aliorum erga nos benevolentiam & benefaciendi ardorem nulla re magis accendimus, quam gratiae nostrae voluntatis erga alios testificatione. Quibus ergo constet, disciplinae a praeceptoribus nostris haustae nos non poenitere, sed in ea nos acquiescere, & plane exultare, qui possunt illi non in eam venire de nobis opinionem, ut ipsis ii videamur, in quibus beneficium non male collocetur?

Quare juvenibus disciplinae meae commissis auctor suaeque fui, ut, qua erga HALTAUSIUM V. C. fuissent essentque voluntate, quem nuper habuissent magistrum doctum, fidum, sedulum, pium, nullisque non ornatum laudibus, quae ad bonum praeceptorem pertinent, ut erga illum igitur suae voluntatis, quam scirem esse propensissimam, exstare vellent publicum monumentum atque testimonium. diem instare Februarii XI. qui dies anno superiore virum longiore vita dignissimum ipsis eripuisset. Non dedecere ipsos, illo die reddito memoriam optimi praeceptoris orationibus dicendis recolere. Habui, id quod par erat ab ejusmodi discipulis expectare, faciles paratosque meae auctoritatis laudatores; affirmaruntque mihi, nihil operae se detrectare, quod ad laudes viri faceret, quem vivum summi fecissent, ejusque cineres religiose colerent. Ita susceperunt libenter dicendi partes, quibus eas mandabam, primae classis, idemque gregis universi princeps SAMVEL GOTTFR. HOPPE, & post eum alius, primi ipse quoque ordinis, FRIDER. GOTTLÖB BORN, ambo Lipsienses, quorum ille vitae fortunam Haltausii, V. C. & res ab eo praecclare gestas, & de hac schola merita ejus & lucubrationes oratione latina exsequetur; hic rectores scholasticos bene de lingua germanica meritos, in quibus Haltausius locum tenet facile principem, exponet atque celebrabit oratione germanica. sed iidem me rogarunt, ut eos, qui memoriae Haltausii bene cuperent, de instituto suo certiores facere vellem edenda prolusuncula, qua eos omnes ad audiendas orationes, quas dixi, & ad in eundam cum schola nostra pietatis luctusque societatem officiose invitarem. Qui cum aequa & iusta omnia postularent, non potui eorum precibus deesse. Et accidit mihi, si quid in malis accidere jucundum potest, hoc jucundius, quod locus mihi sic datus est, ad omnes declarandi, ex quo virtutes Haltausii, quae sunt maximae, numeroque plurimae, intelligere,



ligere coeperim, eum a me amatum & summi factum esse, cui tamen vivo gratulari editionem Glossarii germanici maluissem.

Facit haec ipsa opera alterius quoque rei copiam. Cujus peragendae tempus & causam mihi offerri laetiolem, erat utique optandum, quia tamen ita in fatis erat, ut scriptionem susceperem, cum qua amico parentandi acerba necessitas esset conjuncta, utendum duxi occasione oblata, de re agendi, quam non ignorari a viris doctis percipio, meaque interest; & quae eadem a tristitia hujus argumenti non est aliena. Poteram nempe ex antiquitate discipulorum repetere memorias, qui magistros dicendis in eorum funere orationibus condecorassent. Visum tamen fuit in uno illo Libanii exemplo insistere, atque acquiescere, quam ad rem praesentem agendam sufficere posset. Libanium autem ideo e reliqua turba eximi atque extrahi, quod anni jam sunt non pauci, ex quo diligenter eum tractare, atque novam ejus editionem adornare coepi, quae sine unquam exitum sortitura, temporis permittendum est, & fortunae. Ego quidem, quo tempore me Amplissimi Ordinis Episcopi humanitas ad hujus scholae gubernationem admovit, id quod factum est haud ita pridem, id agebam, & totus eram in eo, ut, quod Wolfio, V. C. per fata negatum fuit, id ego essetum darem. Proffuit enim ille, quum Libanii epistolas in lucem proferret, prosopographiam Libanianam, hoc est expositionem ad literarum ordinem digestam, de rebus illorum, ad quos Libanius dedisset literas, aut quorum in illis mentionem fecisset. Hoc ego tum saxumolvebam, sed gravius inveni, quam existimabam. In quam rerum molem me conjeci mea voluntate! Quum ingrederer hoc stadium, non praevidebam ejusmodi esse latinam illarum epistolarum interpretationem, ut plane necesse esset novam condere. Superavi maximam partem operae taedii plenissimae. Sed supersunt adhuc alia non paullo difficiliora. Excutiendus enim est Codex Theodosiacus, pervestigandum totum saeculum a Christo nato quartum, legendi ecclesiae Christianae doctores, qui ea aetate claruerunt & epistolas reliquerunt, & aut cum ipso Libanio, aut cum ejus amicis per literas egerunt. In his erant curis, quum divino beneficio & incredibili Senatorum gravissimorum humanitate in hanc ludum includeret. Quae res illa superiora studia tantisper seponere jussit, donec aliquando plus otii ad detexendam hanc coeptam telam daretur. Quo tamen constaret, quibus in studiis nuper sum versatus, & quale de mea illa Libanianorum hominum notitia & nova epistolarum interpretatione ferri debeat judicium, volui nunc in Zenobio periculum facere; tantoque id minus dubito, quia ei cum argumento, cujus causa haec scriptio suscepta est, necessitudo manifesta inter-



intercedit, quam quia rei ipsius expositio monstrabit, hic docere super-  
vacaneum puto.

Fuit ergo Zenobius Antiochenus sophista, seu professor eloquentiae  
Graecae publicus, principis & civitatis auctoritate constitutus; Elusa ori-  
undus, quae urbs Palaestinae fuit; cognatus Argyrii, viri summi, & a  
Libanio invidendis laudibus passim celebrati, senatoris gravissimi, & opti-  
me de Antiochia meriti. Intelligitur hoc ex ep. 100. qua epistola apud  
Modestum, tum Comitem Orientis, pro Zenobio juniore, illius, de quo  
agimus, senioris ex fratre nepote, item Elusano, intercedit, rogatque  
ut dignitatem Zenobio ademptam reddat. Fuerat nempe Zenobius junior  
in patria irenarcha, seu praefectus pacis; sed eo loco ipsum nescio quis de-  
pulerat. In quem eum reduci a Modesto vult Libanius. Juvat ipsa ver-  
ba audire. Ζηνόβιος γίνεται μοι διδάσκαλος, παρ' ἡμῖν μὲν οἰκῶν, ἂν  
δ' ἐξ Ἑλλάδος, ἀνεψιὸς Ἀργυρίου τῆς πάνυ, καὶ τῶν νῦν ἐν ἡμῖν λόγων,  
εἰ δὴ τινες ἐν ἡμῖν, ἐκεῖνος παλιῆς. Ζῶντά τε ἐν ἑδερᾶπευον τὸν ἀν-  
δρα, καὶ τεθνεῶτα διὰ τῶν οἰκείων ἐκεῖνος, πειρώμενος αὐτοῖς, εἰς ὅσον  
ἔξῃσι, βοηθεῖν. ἦκει δὲ καὶ νῦν καιρὸς βοηθεῖαν ἀπαχτῶν, σὺ δὲ δίδος  
τὸ δύνασθαι. τὸν γὰρ ὁμώνυμον ἐκεῖνον τρετὸν καὶ συγγενῆ, τεταγμέ-  
νον εἰρηνης Φύλακα, καὶ μάλιστα γε Φρυγῆσαντα τὴν πόλιν, ἐκβόλῃε τις  
ἐπιτιθέμενος τῆς γὰρ ἕως. *Zenobius olim fuit meus magister, Antiochiae  
quidem ille incola, Elusa vero oriundus, Argyrii consobrini, viri summi.  
Huic Zenobio debeo literarum & dicendi facultatem, si qua in me inest,  
omnem. quare & olim superstitem adhuc eum colui ornatique officiis, &  
mortuum nunc in ejus propinquis, quo possum, honore prosequor; quos pro vi-  
rili mea adjuvare conitor. Venit nunc tempus, quo animum erga eos meum  
testatum faciam, opem a me postens, quam ut eis ferre queam, penes te est,  
Modeste, dare. Ergo da. Nam cognominem illi meo magistro, eundemque ipsi  
propinquum, hunc ipsum, qui has tibi literas reddidit, in ea nuper positum  
statione, quae civilem pacem tuetur, partibusque sui muneris ita functum, ut  
civitatem praeclare custodiverit, ex insidiis aliquis aggressus loco dejecit.*

Quo tempore Zenobius Libanium literis imbuerit, non reperio id  
quidem ab eo commemoratum, facile tamen est colligere. natus enim Li-  
banius anno Christi 314. ferme, post vigesimum secundum aetatis, hoc  
est A. C. 336. ferme, patria excessit, & Thraciam Graeciamque adiit, quo  
cultum ingenii majorem caperet. Athenis ex eo tempore cum literis ipse  
dedit operam, tum eas docuit, & postmodum CPLi & in Bithynia per vi-  
ces, & per viginti fere annos domo absuit, sed vehementer exagitatus a  
CPLitanis, praesertim Christianis. quare taedium Thraciae eum cepit,  
patriaeque charitas in animum rediit. Ita factum, ut A. 354. ad Antio-  
chiam

B

chiam



chiam iter geminum susciperet; primum, quod breve fuit; mox enim rediit CPlin; sed quo sarcinulas modo colligeret & omnes fortunas suas ad Antiochiam referret. Quod eodem anno peregit. Zenobius enim lautissima proposita conditione eum induxerat, ut vellet patriam peregrinitati praeferre. Promiserat nempe Zenobius Libanio, si Antiochiam repeteret, professione eloquentiae, qua, quod modo diximus, ille gaudebat, cessurum. cui professioni fructus adjuncti erant non contemnendi. Movit honestas provinciae, patriae amicorumque charitas, & injuriarum CPlin toleratarum memoria Libanium, ut magistro aurem praeberet. Sed reditus Antiochiae fallacem eum reperit. nolebat enim Zenobius jam promissis stare, quod queritur Libanius Operum T. II. p. 35. quae verba statim recitabimus. Jam cum, ex quo amplioris eruditionis comparandae causa in Graeciam se contulit Libanius, ad A. 354. quo sedes certas Antiochiae posuit, patriam non reviserit, cogitur, e Zenobii disciplina ipsum iter ad doctas Athenas suscepisse. Jam ipsa verba Libanii e vita subjiciamus.

Ἐγὼ δὲ ἔγω μὲν ἔφην ποιήσειν, ἐποίησεν δὲ τὰ πάλας δεδογμένα, μένων τε καὶ τῆς πατρίδος ἐχόμενος, καίτοι τῶν τε ὑποχέσεων ἔργον ἔδεν, ὅς τε με ἐπὶ διαδοχὴν ἐκάλεϊ τῶν περὶ τὸς νέους πόνων, ὁ Ζηνόβιος ἕτερος ἐγεγόνει, πόνων τε αὐτὸς ἔραν λέγων καὶ ἐμὲ μὴ δεῖν ἐπειγέσθαι. Ἐ δὴ μοι καὶ τὰ πράγματα εἰς ἡμεῖς ἐβλάψεν. Ego vero ita quidem [urgenti Gallo Caesari] recipiebam facturum [ut scilicet CPlin reverterer,] inhaerebam tamen veteri meo decreto [ut Antiochiae manerem] quamquam promissorum nihil effectui dabatur, [quibus aut civitas Antiochena ei se, aut magister Zenobius obligaverat] Ἐτ' ipse ille, qui me ad successionem regiminis scholastici vocaverat, Zenobius, alia nunc, atque ante, Ἐτ' mente erat, Ἐτ' oratione utebatur. Ipsum enim se agebat adhuc teneri amore laborum, qui in juventutis institutione suscipiuntur, negabatque quidquam esse causae, quare nimis incitato impetu in suam provinciam ante tempus irrumperem. Id quod commodis meis vehementer offecit.

Parum tamen diu has expectationis molestias toleravit Libanius. Altero enim anno, posteaquam ad Antiochiam rediit, sedesque certas fortunarum suarum eo contulit, ad plures abiit Zenobius, quem gemina oratione funebri, brevior altera, altera uberior magistram discipulus condecoravit, quod intelligitur cum e p. 37. Operum T. II. tum ex ep. 407. Legitur enim in vita locus hic.

τὸν δὲ ἀπόντα μὲν καλεῖσθαι, παρόντα δὲ ἀπαθῆναι, Φεύγειν μὲν ἠνάγκαζεν ἔδεν, νόσος δὲ καὶ βαλαρσσα μικρὰ τῶν νέων ἀφίστη, καὶ δυσὶν ἐβιάζετο κακοῖν, πρὸς τὸ τε καὶ πρὸς τὸν θανάτῳ με ἐν τῷ βασιλευτηρίῳ, τοσούτο δὲ εἶναι τὸ πρόβλεπον, ὥστε μὴ ὅσον τε εἶναι, πρὶν δύναϊ τὸν ἥλιον, διὰ πάντων ἰέναι.

τὸν



τὸν δὲ καὶ ἔτιως ἔχοντα γνώμης ἐρχόμενος ἐδεράσπειυεν, καὶ ἐκ ἧν εἰπεῖν, ἦν ἐκ ἡλθον ἐπισκεψόμενος ἡμέραν, καί τοι τε καὶ αἰτηλαυόμην, αἰδ' ὅμως ἐκ αἰνῆν καὶ τελευτήσαντι δέ σι δακρύων μετέδωκα, καὶ λόγον ἐποίησα. *Illum autem [Zenobium] qui me [ad Antiochiam] invitabat adhuc absentem [& in Thracia haerentem], praesentem autem [& ad Antiochiam delatum] repudiabat, nihil quidem aufugere [ex urbe] cogebat [ad exemplum Eubuli, de quo paullo ante dixerat]; verumtamen morbus, non levis ille, lecto affigebat, Et geminis vinculis, febris Et tristitia, constrictum tenebat. Acceperat enim ludum literarium me in Senaculo constituisse, tantumque habere gregem, ut per omnes ire, si a summo mane inciperem, ante solis occasum nequirem. Tanta mei nominis celebritas, numerusque gregis mei, vehementer urebat Zenobium. quod me tamen ideo non impedit, quo minus eum officiis studiisque prosequerer, hominem ita erga me animatum; diemque non sibi praeterire, quo ad eum cubantem non invissem; quamvis haud raro ab ejus congressu excluderer, negantibus domesticis Zenobium mihi vacare velle aut posse. ego tamen nihilo secius eo itare, atque me ingerere non desii, Et vita tandem defunctum luxi, cohonestavique cum lacrymis, tum oratione funebri edita.*

Vberius hanc rem narrat ep. 407. quam, quo expeditius conferre meam interpretationem latinam iudices futuri cum ipsa Libanii dictione possint, ipsa verba graeca hic adscribere haud gravabor. Scripta est ad Aristaenetum illum celebrem Libanii amicum, quem Nicomediae ruinae A. 358. Proconsulatu Asiae fungentem oppresserunt, his verbis.

**Κ**αὶ ὅτε ἀδενεῖν σοι τὴν γυναῖκα ἠκόμοεν, συνηλυόμεν, ἐννοῶντες ὡς εἰκός σε διακείσθαι καμνύσης, καὶ ἐπειδὴ τὴν τελευτὴν ἐπυθόμην, ἀνώμωξα, δεινόν τι ποιέμενος, Ἀρισταίνετον εἶναι ἐν πένθει, ἔ τῆ φύσει πανηγύρεις πρόπεσον. ὁρμήσας δὲ παραμυθεῖσθαι λό-

**Q**uam accepissemus, ait, uxorem tuam, mi Aristaenete, aegrotare, doloris tui sensus ad nos quoque pertinuit, recogitantes, qualem par sit atque credibile animum tibi esse uxore cubante. Sed etiam, posteaquam de ipsius obitu audivi, clarum exclamavi atque lamentatus sum, quod acerbum mihi videretur atque luctuosum, in luctu versari Aristaenetum, eum, cujus mores ad festivitatem hilaritatemque essent compositi atque natura facti. Capiebam itaque consilium te literis scriptis consolandi. Sed statim ab eo consilio destiti, metu, ne qui te pla-





ne perspectum habere & in cute nosse viderer, me proderem tui planissime ignarum. Nam quibus tuum vulnus fuisset leniturus, Pindari puta, & Simonidae, caeterisque carminibus e traegodia petitis, illis nostris consuetis doloris fomentis, ea omnia tu jam pridem mihi videbare ita tenere, & ita animo combibisse, ut vel aliorum plagis eam ipse posses medelam admovere. Sic ergo mecum ratiocinabar. Sive sopire & placare possunt illa, quae penes me sunt, pharmaca dolorem Aristaeneti, five minus. Jam si possunt, habet ipse illa in promptu, poteritque ipse se sanare. Si autem minus possunt, etiam alius in cassum ea ipsi afferat. qua propter tui consolandi consilium omitto, contra ea vero narrationem earum tibi rerum impertiam, quae superiore hyeme mihi contigere. Auspicatus ergo sum meae professionis functionem declamatione gemina; altera prolusione, altera controversia adversus aliquod argumentorum Demosthenicorum continebatur. Prolusio versabatur in voto, ut per Deos mihi liceret vitae reliquum Antiochiae in sede certa stabili que conficere; controversiae autem habitus inerant multiformes. qua declamatione finita, quum assurrexisset, ut domum redirem, septendecim protinus juvenes disciplinae meae se committebant. At Plato meus optimus, Zenobius, aberat ab illa declamatione. aegrotabat enim. Ex eo docendi munere strenue fungi pergebam; & affluebant, ut Homericam dictione utar, *populi*, tam Antiocheni nostri, quam exteri, ad me audiendum,

γοις, ἀνέχον, δέσασ, μὴ πᾶν  
σε δοκῶν εἶδεναι, ἔπειτα ἀλοῖν  
ἀγνοῶν. οἷς γὰρ ἐμελλόν σε  
κῆριεῖν, τέτοις δὴ τοῖς Πινδάρου  
καὶ Σιμωνίδου, καὶ ὅσα ἐκ τρα-  
γωδιῶν εἰώθαμεν φάρμακα λυ-  
πη προσάγειν, πάντα ἐδόκει  
ἐμοὶ πάλα τε εἶδεναι καὶ πρὸς  
ἄλλους εἰπεῖν. ἐλογιζόμενη ἔν,  
ὅτι, εἰ μὲν οἷα τε κατακοιμίζεν  
ἀθυμίαν, αὐτὸς ἰάση σαυτὸν.  
εἰ δὲ ἔχῃ οἷα τε, καὶ παρ' ἄλ-  
λων μάτην αὖν λέγοιτο. διὰ ταῦ-  
τα τῶν μὲν ἀφίσταμαι, τὴν δὴ-  
γησιν δὲ σοὶ τῶν πραγμάτων  
ἀποδίδωμι, ἃ τῶν χειμῶνος συν-  
έβη. Ἡρξάμεθα τῆς συνε-  
σίας μετὰ προλόγου καὶ τινος  
ἀμίλλης πρὸς τι τῶν Δημοθέ-  
ων. ἦν δὲ, ὁ μὲν εὐχή, \* μόνην  
αἰτῶν βεβαίαν, τῇ δὲ ἀμίλλῃ  
πολλὰ μορφαί. καὶ προσήλ-  
θον, ἐπειδὴ ἀνέστην, ἑπτακαίδε-  
κα νέοι. Πλάταν δὲ μοὶ ἠθέ-  
νει,

\* Sic leg. est. vitiose dat edit. WOLFII

εὐχὴν μόνην, αἰτῶν βεβαίαν.

νει, Ζηνόβιος ὁ χρησὸς. ἔπειτα  
 ἐγὼ μὲν τῷ διδάσκειν εἰχόμενος,  
 τὰ δ' ἐπέβρεον ἔθνεα, πολῖται  
 καὶ ξένοι, καὶ ταύτη ὅτις εἶναι, εἰ-  
 δέναι θελοντες. τό με γὰρ εἶναι  
 μὴ κακὸν λόγον δημιουργόν, συνε-  
 κειώρητο, θάτερον δὲ ἐδοκιμά-  
 ζετο. καὶ ἔδοξα τοῖς μὲν ἐκείναι  
 ταύτη χείραν, τοῖς δὲ καὶ βελ-  
 τίων, ὥστε ἐν ἑπολλοαῖς ἡμέραις  
 πεντήκοντα νέων ἦν ὁ χορὸς,  
 ἀριστῶν δὲ ἐκ ἦν, ἀλλ' ἔδει πο-  
 νεῖν εἰς ἐσπέραν. ἐθαυμάζετο  
 δὲ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τὸ τῆς  
 γαστρὸς κρατεῖν. ἦκεν ὁ στρα-  
 τηγός, καὶ ἐδεξάμην τὸν ἄνδρα  
 λόγῳ, μικρῷ μὲν, (ἔτος γὰρ  
 οἶμαι προσφωρῶντι νόμος) ῥη-  
 θέντι δὲ κατὰ νῦν αὐτῷ τε καὶ  
 τοῖς ἄλλοις. ὁ δὲ ἀντίτεχνος  
 (καλῶ γὰρ αὐτὸν, ὃ καὶ αὐτὸς  
 ἑαυτὸν) ἠπέλιψε μὲν ἐρεῖν,  
 καὶ τῆτ' ἦν ἐπίδειξις, ἢ ὑπόχε-  
 σις. ἰδὼν δὲ τὴν παιδαγωγὸς  
 ἰχύοντας ἀπὸ τῷ πωλεῖν τὴν

volentes nempe illi experiri, qualis nam  
 illa quoque ex parte [docendi puta fa-  
 cultate] essem. nam orationum qui-  
 dem auctorem haud malum me esse, ne-  
 mo erat qui dubitaret. at de mea illa  
 altera facultate, [quae in docenda juven-  
 tute spectatur] adhuc dubium erat, de-  
 bebatque ea edito specimine approbari.  
 Et cessit profecto vel hic quoque res fe-  
 liciter. visus enim sum aliis quidem etiam  
 hac ex parte non minus dexter quam  
 illa altera: aliis autem vel dexterior.  
 quo factum ut paucorum modo dierum  
 interjecto spatio ad quinquaginta juve-  
 num numerum chorus meus exeresceret,  
 eaque negotiorum me moles obrueret,  
 quae prandere me non sineret, sed in la-  
 boribus scholasticis usque ad seram ves-  
 peram contineret. nova haec erat lau-  
 dum mearum accessio. nam, cum aliis,  
 hoc quoque in me admirationi erat no-  
 stratibus, quod ventrem in potestate  
 mea haberem, neque gulae indulgerem.  
 Advenit postmodum Comes Orientis  
 [Modestus] ad Antiochiam; quem brevi  
 quidem allocutione excepi, (nam in le-  
 gibus allocutionum haec quoque, nifal-  
 lor, est, ut breves sint) at illa tamen ejus-  
 modi, quae & ipsi, [Modesto] & cacte-  
 ris arrideret. Noster autem ἀντίτεχνος  
 (recte enim ipsi nomen tribuo, quod  
 ipse sibi tribuit) ille [Eubulus] igitur  
 minabatur dicturum; sed tota ejus de-  
 clamatio absolvebatur declamationis pro-  
 missione. Porro quum viderem, paedag-  
 ogorum potentiam, quae sane magna  
 erat, ex eo ipsis natam esse, quod juve-  
 nes suae fidei commissos ludimagistris  
 venderent, ex eoque pessum datum bo-  
 num



num scholae ordinem decoremque, suadebam meis civibus, ut diutius illi pesti connivere eamque pati nollent, sed objur- gatione atque animadversione coercerent. Habuit quoque mea suasio eum exitum, ut in fontes haud mediocriter animad- verteretur. aemulus vero [Eubulus] mi- nabatur causam paedagogorum dictu- rum. sed & haec quoque declamatio ipsi rursus intra declamationis pollicitationem substitit. Tandem fato suo defungeba- tur Zenobius, cujus a sepulcro quum ego, justis factis, in ludum meum me rece- pisset, brevi monodia memoriam ejus prosequerbar; & paullo post uberiore laudatione. qua ratione id sum conse- cutus, ut magister a discipulo non con- temendam disciplinae mercedem tulisse visus fuerit. Aemulus autem tum pro- misit dicturum, quum pater sibi dece- ferit. at ille adhucdum vivit. Post haec ita gesta illi ipsi, qui vel maxima uti decreverant impudentia, remiserunt; tres illi erant, qui lautarum epularum mer- cedem aemulo referebant eam, ut oris impudentia calumniisque & probris in me famamque meam grassarentur. Re- bus tantis confectis, tantisque superatis laboribus, rogabam ut quietis vehe- menter indigentem respirare me sine- rent. avunculo autem [Phasgano] contentio mea quaecumque, quan- tumvis magna, non sufficiebat. Qui- rinus quoque in illis erat, qui non patie- bantur labores a me meos otio distin- gui; habet nempe filium in disciplina nostra, & ut te amore mei imitatur, sic me rursus tui. Declamo itaque con- troverfiam aliquam generis fictitii.

νέος, [καὶ τὸν ἐν τοῖς μισοῖσι  
κόσμον ἀποκαλότα, συμβε-  
λεύω τοῖς ἑμαυτῆ πόλιταις  
ταῦτα μὴ περιορᾶν, ἀλλ' ἀγαν-  
ακτῆσαι καὶ κωλύσαι, καὶ ἐγγέ-  
νετό τις ὀργὴ κατὰ τῶν ἀδι-  
κέντων ἔμμορῶ. ὁ δὲ ἀντίτεχ-  
νος ἠπέλει συνερεῖν αὐτοῖς, καὶ  
τῆτ' ἦν ἐπίδειξις, ἢ ὑπόχεσις.  
τελευτᾶ Ζηνοβίος, καὶ ἐμονώδην  
ἀπελάθων τῆ τάφου, καὶ μικρὸν  
ὑπερον ἐγκωμιάζω τὸν διδάσκα-  
λον μακροτέρω λόγῳ. καὶ ἔδοξεν  
ἔφάυλος κεκομίδαταις μισθῆς.  
ὁ δὲ ἀντίτεχνος ὑπέχετο λέξειν,  
ἦν ὁ πατήρ αὐτῷ ἀποθάνη.  
ὁ δὲ ἔτι ζῆ. τέτων γενομένα  
οἱ σφόδρα ἐγνωκότες, ἀναισχυν-  
τεῖν, (ἦσαν δὲ τρεῖς ἀντί τερα-  
πέζης λαμπρᾶς οἱ τῆτο ποιῶν-  
τες) ἐνέδοσαν. ἐγὼ μὲν ἔν ἀνα-  
παύλης ἐδεόμην, τῷ θεῷ δὲ  
ἔδεν ἄρα ἤρηκει, καὶ Κυρίνος δὲ  
ἦν τῶν ἐκ ἀφιέντων, παρ' ἡμῖν  
τε ἔχων τὸν υἱὸν, καὶ μιμῆμε-  
νός





νός σε μὲν εἰς τὰ ἐμὰ, ἐμὲ δὲ  
 εἰς τὰ σὰ. Ἀγωνίζομαι δὴ τινα  
 ἀγῶνα τῶν ἐν τοῖς πλάσμασι  
 τῆτοις, οἱ δὲ ἀρχῶντο, ἅτε ἐν  
 αὐτοῖς τετραμμένοι, καὶ ἐδέον-  
 το μῆ κατὰ μέσον γενομένην τὸν  
 λόγον, μετὰ τῆς ἴσης τέχνης  
 καὶ τὴν ἀντιλογίαν γράφειν.  
 καὶ γράψας ἐπήλθον ὅτι τά-  
 χιστα, καὶ ἦν ἀδελφὸς ὁ λόγος  
 τῆ προτέρῃ, καὶ διεσέειστο τῶν  
 πολεμίων τὰ πράγματα. δει-  
 σασ δὲ μὴ γυμνωθεῖν, εἰσῆλθεν  
 ὡς καθέξων τὰς ἀποσάσεις,  
 ἐκίνησε δὲ καὶ τὰς ἐκ ἂν, ἔπειρ  
 εἰσίγα, συμβάσας. ἐν γὰρ τοῖς  
 προσιμίοις ἐδεῖτο ἐμῆ, ἐφῆναι  
 \* οἱ τὸ τέλος εἰπέν. Κυρίως δὲ  
 ἐ διδόντος ὑπερπηδᾶν, αὐτὸς  
 αὐτῷ τῆτο ἔδωκε. καὶ ἀπ' ἐκεί-  
 νης τῆς ἡμέρας κἀθηται μό-  
 νος, ὄρκοι δὲ καὶ ἀνάγκαι πα-  
 σαι καὶ δεσμοὶ καὶ ὅσα ἐπιστεύ-  
 ετο τηρήσειν τὲς νέες, ἔπα-  
 τῆτο καὶ μετέβρεεν. ἐπὶ τῆτοις  
 γράμματα βασιλέως ἀφικνεῖ-  
 ται κελεύοντα με ἀναστρέφειν.  
 πρὸς αὐτὸ ἀπεκρίνατο τό τε τῆς  
 κεφαλῆς καὶ τῶν νεφρῶν νόση-

\* Sic emendo hunc locum, qui in  
 edit. WOLFII ita existat exaratus  
 ἐδεῖτό ἐμε φθῆναι οἱ.

quae tam vehementer placuit audito-  
 ribus, ut ejus admiratione exult-  
 rent innutriti quippe talibus, \* &  
 vix ad mediam declamationem recitando  
 delatum me rogabant, ut arte pari adver-  
 sariam quoque elaborarem. Elaboravi  
 & recitavi illam quoque brevi post,  
 fuitque, ut artificio, sic fortuna haec de-  
 clamatio posterior gemella germana prio-  
 ri. atque ab ea demum plane concussae  
 atque divulsaе fuerunt adversariorum spes  
 & instituta. unde quum metuere inci-  
 peret aemulus ne totus omnino sibi lu-  
 dus deflueret, processit quidem ad de-  
 clamandum, verum eo ipso declamandi  
 studio, quo suorum desertiones aciei siste-  
 re volebat, auxit malum, & ad deser-  
 tionem sui movit eos ipsos, qui, si tacu-  
 issent, constanter ipsi fuissent adhaesuri.  
 nam statim in praeloquio rogabat a me ut  
 ei permitterem declamationis finem so-  
 lummodo recitare. quod quum Quiri-  
 nus ei nollet permittere, ipse sibi permi-  
 sit. Ab eo inde die solus sedet domi suae,  
 deserto ludo. Sacramenta, & aliae omnes  
 necessitudines vinculaque juventutis con-  
 culcata jacent & projecta. Postea prin-  
 cipis advenit rescriptum, quo jussus sum  
 CPlin reverti. cui opposui morbi excu-  
 sationem; caput scilicet renesque non  
 pati me parere. Et hoc quoque negotio  
 confecto recitavi commentationem de bo-  
 nitate indolis, forma dialogi conscriptam,  
 illa tibi tantoperè adamata forma. quae com-

\* Videtur morem perfringere, quo aemulus ejus  
 Eubulus antea suos auditores infueverat, ad  
 quaevis ejus declamantis dicta non solum ap-  
 plaudendi, sed etiam assultandi.





commentatio quum uno die tota nequiret recitari, prorogata in alterum fuit recitatio; quo tempore Clematius quoque interfuit. quam recitationem qui motus animorum & qui plausus sit consecutus, me non decet dicere: illud tamen decet licetque dicere, in quod etiam tum uno omnes clamore consentiebant, tuo, Aristraenete, exemplo incitatum me illud scribendi genus, quod colloquentium sermones fictos refert, attingisse, & omnino me tibi debere, quidquid laudem in me aliquam mereatur.

Et haec haec hactenus de Zenobio sophista. De instituto meo circa Libanium judicabunt eruditi, & si videbitur, quod quisque poterit, ei orando conferet. Nil jam superest, quin vos mittam, praeter id unum, ut quotquot virtuti & memoriae HALTAUSII V. C. faventis, vultu docti, decora Lipsiae, ad d. XII. Februarii in Scholae Nicolaitanae auditorio majore frequentes ad audiendos illos, quos dixi, oratores, convenire velit. In quo quum sitis praeclarum virtuti excellenti testimonium perhibitori, totus grex noster me interprete profitetur eo nomine se multum vobis debiturum.

μα, ὡς ἐν ἀν' δυναίμην. τῆτο δὲ ἔγω' θέμενος δέκνυμι λόγον περὶ εὐφύιας. τύπος δὲ τῆς διαλέξεως, τὰ σα' παιδικὰ, καὶ δευτέρας ἐδέησεν ἡμέρας, ἧς ἐκοινῶναι Κλημάτιος. τὴν μὲν ἐν' ἐπ' αὐτῶ κίνησιν ἐκ' ἐμὸν εἰπεῖν. ἐκεῖνο δὲ ἐμὸν ἦν εἰπεῖν, καὶ ἐβοᾶτο, ὅτι τῆτων μέντοι διδάσκαλος Ἀριστράηντος, καὶ δὴ καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα ἀν' ἔπαινον δέχεται.



*Handwritten in brown ink:*  
H 755

*Handwritten in blue ink:*  
①

ULB Halle 3/1  
001 098 209  


*Faint embossed text:*  
Für den Lesesaal



